ELOGIUM
SERVI DEI
P. F. THOMAE-MARIAE
OLIVERII,

Novitiorum Magistri, Ordinis Praedicatorum, Provinciae Regni Alumni.

Ad Amplissimos Patres Capituli generalis Bononiensis, celebrandi anno 1748.



Uae enuntiamus vobis, Amplissimi ac Reverendiss. Patres, haec in notitiam vestram, ut ad nova & publica decora excitetur Ordo noster, existimavimus perferenda, deque tanto bono nobis conlato uberes, ut par est, Omnipotenti Deo gratias rependamus. Mira sunt, sed haud nova in perantiqua Praedicatorum familia, quae testamur: verùm, ut & rem agnoscatis ad aedificationem corporis Ecclesiae sanè spectantem, & non ignoretis hominem tam praeclara bona molientem, veritate patefacta, pandemus utrumque. Is fuit Rev. P. L. F. Thomas-Maria Oliverius, piis Parentibus ortus die 23. Januarii 1663. natione Campanus, Provinciae nostrae Regni alumnus, & Conventus S. Dominici de Cajeta

filiis cooptatus, qui in altero nostro Conventu S. Birgittae de Villa Pausilippi propè Neapolim, ubi per quadraginta duos annos commoratus fuerat, diem ultimum in osculo Domini, ut piè credimus, inter lugentes Fratres, filiosque Novitios placidissimè clausit die 17. Februarii anno Domini 1740. aetatis suae verò 77.

Praefuerat iste per annos ferme quadraginta duos Novitiorum institutioni, quos & saluberrimis verbis, & exemplis religiosissimae vitae ad legum Ordinis normam, & ad S. P. Dominici vitae specimen efformare conabatur. Nimia, & excellenti praefulsit ergà Deum charitate, ac proximum: nam adeo illi Deus in amoribus erat, tantoque in eum cor ipsius aestuabat ardore, ut esto in excitandis tepentibus, vel in errantibus corrigendis totus videretur exardescere metuendus; nihilominus tamen, & fractos adversitatibus solabatur jucundus, commemoratione praesertim futurae beatitudinis, atque prolato *Alleluja*, quo solitus erat interfari, hilarique, quo solebat, vultu; & fame confectos jentaculis iisdem, quibus ipse abstinebat, reficiebat pius; & nudos itidem pauperes Superiorum permissione vestiebat munificus, quibus insuper propriis ipse manibus rudes vestes consuens parabat. Haec sibi tanquam otia suae senectutis faciebat, dum aliis Ordinis

 la-

laboribus in extrema sui aetate se minus parem putabat. Omnibus tandem, licèt nolens, suae charitatis manifestabat ardores, qui familiaribus adhuc colloquiis dulce Jesu nomen intexere solitus erat tanta veneratione, ut adstantes, secumque colloquentes ad pietatem egregiè promoveret.

In seipsum autem solum excandescere videbatur; nam cùm esset rigidissimae observantiae vir, nec jota unum unquam, nec unum apicem suae regulae volens praeterivit: silentii propterea tenacissimus fuit, & a comedendis carnibus abstinuit semper, nec nisi piè deceptus, vel Praelato humiliter obtemperans, eas aliquando comedit. Vixisse solis herbis, nec sale conditis, nec oleo, satis illi fuit quam saepissimè. Jejunia nec aeger solvit, & fere nunquam vino usus fuit: Finem verò suae poenitentiae hic non stetisse produnt, & aspera cilicia, & flagella ad effusionem usque sanguinis interdiu pluries iterata. Rigidam quoque coluit paupertatem, studioseque custodivit, magnopere tum maxime laetatus, cum necessaria sibi deesse contingeret; quae si quandoque ad senescentis corporis membra ab exterioribus defendenda repetere cogeretur, tanquam si onus, & sarcinam quaesivisset, & quo minus posset fecit, & vilioribus semper utens. A lineis super carnem sic abstinuit, abhorruitque, ut qui laneis

semper interius, exteriusque utebatur; nec madentem faciem sudore, lineo unquam, sed laneo sudario detergeret tantummodo.

Somni parcissimus, nec proprium possidebat lectulum, quod illi more S. P. Dominici fuerat comparatum: & si aliquando effoeto corpori indulgendum erat, super nudas tabulas toto Ordinis habitu indutus, quin & calceatus quiescebat, ut matutinis precibus, quae toto anno in praelaudato S. Birgittae Conventu media nocte inviolabiliter persolvuntur, interesse posset, & inveniri paratus: idque cum in ultima infirmitate consequi nequiret, ac matutinas preces in choro media intempesta nocte persolvere, uti per quadragintaduos ferme annos nulla, quod sane mirum est, intermissa nocte perfecerat, eo tamen tempore surgens vigilabat, & ad manus Novitiorum in comuni dormitorio ferebatur, ut ibi B. Virginis laudes, quam ceu sui dulcissimam Matrem singularissimè venerabatur, cum reliquis Fratribus juxta nostri Ordinis ritum saltem exolveret. Quid autem praeclarum, & non idem arduum? Quam jam ferè ab adolescentia vim sibi intentaverat ad excubandum, ut noctu vigilias in choro psallens ageret, eandem, & fortè importuniorem, se jam senio confectum adhibuisse, cuidam de tam longa laudabili consuetudine ipsum intero-

roganti ingenuè fatebatur suis ultimis diebus.

At non minus prosperè secum pro veteri deponendo homine, quam cum aliis, ut novum sub habitu Religionis induerent, decertavit. Statim enim ac ad institutionem vitae regularis Novitiis fuerat praefectus, disciplinam severissimè rexit, incumbuitque totus, ut prolapsam ad priscos restitueret, redderetque mores; obluctantibus verò improbis columnam ferream se, & murum aeneum opposuit. Exactissimus itaque non modò sensus, sed literae nostrarum Constitutionum cultor factus, difficile dictu est, quot calumniis ipsum agerent aequales, quot animadversionibus Majores, quotque obtrectationibus infimi provocarint: verùm cum in eo humilitatis virtus excellentiùs eniteret, firmissimè in seipso constitit, & ope divina priùs, patrocinio deinde fultus spectatae virtutis virorum, quibus potissimum ob tuendi Divini honoris zelum acceptissimus erat, laxitates dissipavit, evulsit; aedificavitque tandem, atque plantavit in praedicto Conventu S. Birgittae primam Ordinis nostri institutionem vitae, ad haec usque tempora in ornamentum Provinciae nostrae Regni, ac decus religiosissimè servatam.

Tot verò inter adversa ad usque divisionem spiritus, & animae in annos plurimos protracta,

ma-

majus solamen illi nunquam afferri potuit, quàm cum ad Altare Deo Patri Agnum offerret immaculatum; idve quotidie, quamvis gravi quandoque detentus esset infirmitate, perfecit: imo nullo prorsus intermisso die, ex quo fuerat Presbyteratus Ordine insignitus, usque ad pridie quam ex hac luce ad perpetuam aliam, ut credimus, emigravit, celebrare praetermisit. Quantis animi sui deliciis in hoc sacro convivio reficeretur, frequentiora illa ostendebant, ac ferventiora suspiria, quibus coelestem Patriam anhelare videbatur. Quadere cum optata dies, sui incolatus ultima advenisset, cubans in comuni Capitulo super saccum, totoque Ordinis habitu indutus, sana mente, defixis in Crucifixum luminibus mortem laetus adspexit, gaudens quod ibi deponeret exuvias corporis, ubi sub sui mirifica disciplina tot insignes nostrae Provinciae viri habitum Ordinis suscepere. Corpus ejus, ut Populi devotioni fieret satis, per plures dies expositum, tractabile semper, nec ullo unquam gravi manans odore, permansit: deposuere tandem illud in communi Fratrum sepultura in arca lignea inclusum, cum priùs tanti viri memoriam literis persequi, ac conficere curassent, quam in eadem arca vitreo in vase recluserunt.

Haec, quae perfecimus, non ad aliquam viro

huic